

DIGESTORUM SEU PANDECTARUM

PARS SEXTA.

LIBER TRIGESIMUSSEPTIMUS.

TIT. I.

DE BONORUM POSSESSIONIBUS.

1. ULPIANUS, [lib. 59, ad Edictum].

BONORUM possessio admissa, commoda et incommoda hereditaria, itemque dominium rerum, quae in his bonis sunt, tribuit: nam haec omnia bonis sunt conjuncta.

2. Idem, [lib. 14, ad Edictum].

In omnibus enim vice² heredum bonorum possessores habentur.

3. Idem, [lib. 59, ad Edictum].

Bona autem hic (ut plerumque solemus dicere) ita accipienda sunt, universitatis cujusque successione, qua succeditur in jus demortui, suscipiturque ejus rei commodum et incommodum: nam sive solvendo sunt bona, sive non sunt, sive damnus habent, sive lucrum, sive in corporibus sunt, sive in actionibus: in hoc loco proprie bona appellabuntur. — § 1. Hereditatis autem bonorumve possessio (ut Labeo [re] scribit) non uti rerum possessio accipienda est: est enim juris³ magis, quam corporis, possessio: denique etsi nihil corporale est in hereditate, attamen recte ejus bonorum possessionem adgnitam Labeo ait. — § 2. Bonorum igitur possessionem ita recte definiemus: jus persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quae cujusque, cum moritur, fuit. — § 3. Invito⁴ autem nemini bonorum possessio acquiritur. — § 4. A municipibus, et societatibus, et decuriis, et corporibus, bonorum possessio⁵ agnoscitur potest; proinde sive actor eorum nomine admittat, sive quis alius, recte competet bonorum possessio: sed etsi nemo petat, vel agnoverit bonorum possessionem nomine municipii, habeat municipium bonorum possessionem praetoris edicto. — § 5. Dari autem bonorum possessio potest tam patrisfamilias, quam filii⁶ familias: si modo jus testandi habuit de peculio castrensi vel quasi castrensi. — § 6. Sed et ejus, qui⁷ apud hostes decessit, bonorum possessionem admitti posse, quamvis in servitute decessit, nulla dubitatio est. — § 7. Adquirere quis bonorum possessionem potest, vel per semetipsum, vel per alium⁸. Quod si, me non mandante, bonorum possessio mihi petita sit, tunc competet, cum ratum habuero id, quod actum est. Denique si⁹ ante decessero, quam ratum habeam: nulla dubitatio est, quin non competat mihi bonorum possessio: quia neque ego ratum habui, neque heres meus ratum habere potest, cum ad eam non transeat jus bonorum possessionis. — § 8. Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur, quam pro tribunali: quia neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi quam pro tribunali dari potest. — § 9. In bonorum possessione sciendum est jus esse¹⁰ ad crescendi: proinde si plures sint, quibus bonorum possessio competit, quorum unus admisit bonorum possessionem, ceteri non admitterunt.

4. GAIVS, lib. 8, ad legem Juliam et Papiam.

Veluti quod spreverunt jus suum; aut tempore bonorum possessionis finito exclusi sunt; aut ante mortui sunt quam petierunt bonorum possessionem:

Tit. I. — 4. Lib. 5, Inst. 10. — 2. L. 15, in pr. infr. de bonor. poss. contra tab. l. 127, infr. de reg. jur. — 3. L. 16, in pr. supr. de hered. petit. — 4. L. ult. C. unde legit. et unde cognat. — 5. L. un. § 1, infr. de libert. univers. — 6. L. 54, in pr. supr. de hered. petit. l. 1. § 6, supr. ad Sc. Trebell. — 7. L. 25, supr. de vulg. et pupill. substit. — 8. L. 86, in pr. supr. de acquir. vel omitt. hered. l. 7, infr. ratam rem haberi. — 9. d. L. 86, in pr. d. L. 7. — 10. L. 51, l. 67, supr. de acquir. vel omitt. hered. l. 4, in pr. infr. quis ordo in poss. l. 1, § 9, infr. ad Sc. Tertull. l. un. C. quando non petent. partes. — 11. L. 5, in fin. supr. h. t. — 12. L. 1, C. de bonor. poss. contra tab. liberti. — 13. § 1, vers. ad huc

5. ULPIANUS, lib. 59, ad Edictum.

Ei qui admisit, ad crescent¹⁴ etiam haec portiones quae ceteris competere, si petissent bonorum possessionem.

6. PAULUS, lib. 41, ad Edictum.

Sed cum patrono quidem contra tabulas certae¹² patris bonorum possessionem praetor polliceatur, scripto autem heredi, secundum tabulas, alterius partis: convenit non esse jus ad crescendi; igitur non petente scripto secundum tabulas, alterius quoque partis nominatim patrono possessionem pollicetur: cum ceteri, quibus ad crescendi jus est, semel debent agnoscere bonorum possessionem. — § 1. Bonorum possessionis beneficium multiplex est: nam quaedam¹³ bonorum possessiones competunt contra voluntatem; quaedam secundum voluntatem defunctorum, necnon ab intestato habentibus jus legitimum, vel non habentibus propter capitis deminutionem. Quamvis enim iure civili deficiant liberi qui propter capitis deminutionem desiderant sui heredes esse: propter aequitatem tamen rescindit eorum capitis deminutionem¹⁴ praetor. Legum quoque tenendarum causa dat bonorum possessionem. — § 2. Notis scriptae tabulae non continentur edicto: quia notas, literas non esse Pedius libro 25 ad edictum scribit.

7. ULPIANUS, lib. 4, ad Sabinum.

Servus bonorum possessionem recte admittit potest, si praetor de conditione ejus certus¹⁵ sit. Nam et absentis¹⁶ et non petenti dari bonorum possessio potest, si hoc ipsum praetor non ignoret. Ergo et femina poterit alii bonorum possessionem petere. — § 1. Impubes¹⁷ nec bonorum possessionem admittit, nec iudicium sine tutoris auctoritate accipere potest: quia tutor¹⁸ pupillo, et pater infanti¹⁹ filio bonorum possessionem petere possunt. — § 2. Dies, quibus tutor aut pater²⁰ scit, cedere placet.

8. PAULUS, lib. 8, ad Plautium.

Tutor²¹ autem bonorum possessionem pupillo competentem repudiare non²² potest: quia tutori petere²³ permissum est, non etiam repudiare.

9. POMPONIUS, lib. 5, ad Sabinum.

Si plures gradus sint possessionis admittendae: quamdiu incertum²⁴ sit, petierit, necne, posteriori diem non procedere constat.

10. PAULUS, lib. 2, ad Sabinum.

In bonorum possessionibus juris ignorantia²⁵ non prodest, quo minus dies cedat: et ideo heredi instituto et ante apertas tabulas dies cedit: satis est enim, scire mortuum esse, seque proximum cognatum fuisse, copiamque²⁶ eorum, quos consuleret, habuisse; scientiam enim non²⁷ hanc accipi, quae juris prudentibus sit: sed eam, quam quis aut per se habeat, aut consulendo prudentiores adsequi potest.

11. GAIVS, lib. 14, ad Edictum provinciale.

Si pupillo tutor bonorum possessionem petierit; et plus incommodi quam commodi haec bonorum possessio habeat: tutor tutelae iudicio tenetur²⁸.

autem; § 2, Inst. h. t. — 14. L. 15, § 1, C. de legit. hered. — 15. Arg. l. 7, C. qui admittit ad bonor. poss. — 16. L. 5, § 7, supr. h. t. — 17. § 1, Inst. de auctor. tutor. — 18. L. 8, infr. h. t. l. 7, C. qui admittit ad bonor. poss. — 19. L. 1, infr. de bonor. poss. furios. — 20. Immo vide d. L. 1, vers. nam et; l. 5, infr. quis ordo in poss. — 21. L. 1, § 4, infr. de successor. edict. — 22. Arg. d. L. 1, § 1; immo vide L. 11, supr. de auctor. tut. l. 18, supr. de acquir. vel omitt. hered. — 23. L. 7, C. qui admittit ad bonor. poss. — 24. Adde L. 5, C. d. l. — 25. L. 1, § 1; l. 9, supr. de iur. et facti ignor. — 26. d. L. 9, § 5. — 27. L. 2, in fin. infr. quis ordo in poss. — 28. L. 11, supr. de auctor. et consens. tut.

TIT. IV.

DE BONORUM POSSESSIONE CONTRA TABULAS¹.

1. ULPIANUS, lib. 59, ad Edictum.

In contra tabulas bonorum possessione liberos accipere debemus, sive naturales, sive adoptivos, si neque instituti, neque exheredati sunt. — § 1. Vocantur autem ad contra tabulas bonorum possessionem liberi eo jure, eoque ordine, quo vocantur ad successionem ex jure civili. — § 2. Haec autem clausula etiam ad postumos videtur pertinere. — § 3. Sed etsi ab hostibus² postliminio redierint filii: Pomponius putat, ad contra tabulas bonorum possessionem eos admitti. — § 4. Si ex tribus filiis unus ab hostibus captus sit; duobus qui sunt in civitate, besis bonorum possessio competit. — § 5. Idem et in postumo: nam quando posthumus speratur, in ea causa est, ut partem faciat. — § 6. Et sui juris factos liberos inducit in bonorum possessionem praetor; sive igitur emancipati sunt, sive alias exierunt de patris potestate: admittuntur ad bonorum possessionem; sed adoptivi patris non potest: ut enim admitti possit, ex liberis³ esse eum oportet. — § 7. Qui habebat filium, habebat et nepotem ex eo, filium emancipavit, et adoptavit in locum nepotis, deinde emancipavit: quaeritur, an nepoti obstat? Et mihi magis videtur, huic nepotem non excludi, sive pater ejus in adoptione mansisset quasi nepos, sive emancipatus esset: puto enim et emancipato patre, nepotem quoque cum patre suo ex edicto admitti. — § 8. Filium habuit, et ex eo nepotem: filius emancipatus vel in potestate manens, deportatus est. Quaeritur, an nepoti noceat? et verius est, in utroque casu nepotem admittendum: deportatus enim mortuorum⁴ loco habendos. — § 9. Si et pater et filius deportati sint et ambo restituti: dicemus, ad bonorum possessionem admitti filium. Sed et si filius in metallum damnatus vel alia poena, quae servum efficit, restitutus sit: nihilominus admittetur (aliter non).

2. HERMOGENIANUS, lib. 5 juris Epitomarum.

Idemque est, et si pater poena [et] servus efficiatur, et postea restituitur.

3. ULPIANUS, lib. 59, ad Edictum.

Non tantum autem ipsi⁵ emancipati admittuntur ad bonorum possessionem, verumetiam hi quoque qui ex his nati sunt. — § 1. Si duos habens nepotes, alterum emancipatum loco filii adoptaverit: videndum, an solus ille quasi filius admittatur? quod ita scilicet procedit, si, quasi patrem ejus nepotis, quem retinuerat, sic adoptaverit: melius est autem dicere, posse eum solum ad bonorum possessionem pervenire. — § 2. Sed si sit hic nepos emancipatus: verum est dicere, non admitti eum quasi filium; hic enim quasi filius non⁶ est ex liberis, cum iura adoptionis emancipatione finita sint. — § 3. Si filium habens, et ex eo nepotem, in locum filii nepotem adoptaverit: ambo admittuntur; plane si fuerit⁷ emancipatus nepos, non admittitur: quia pater eum praecedit. — § 4. Si quis post emancipationem quasitum sibi filium patri suo in adoptionem dederit in locum filii: aequissimum est, ei praestari quod cuivis adrogato filio: idcircoque patri suo jungendus est; sed si emancipatus hic nepos post adoptionem proponatur, aequissimum erit eum abstinere: recipit enim locum suum, nec debet patri suo jungi. — § 5. Si emancipatus filius, uxore⁸ non ex voluntate patris ducta: filium fuerit sortitus, dein nepos, patre jam mortuo, ad bonorum possessionem avi velit venire: admittendus est ad eam; non enim per rescissionem is, qui filius justus est, efficietur non filius: cum rescissio, quo magis [admittantur], non quo minus, adhibeatur; nam etsi tam ignominiosam duxerit uxorem filius, ut dedecori sit tam ipsi, quam patri, mulierem talem habere: dicemus, et ex ea natum ad bonorum possessionem avi admitti: cum possit avus jure suo uti, eumque exheredare; nec enim minus in hoc nepote is, qui de infocioso cogniturus est, merita⁹ nepotis, quam patris ejus delicta perpendet. — § 6. Si emancipatus filius praeteritus, ante petitam bonorum possessionem adrogandum¹⁰ se dederit: amittit contra tabulas bonorum possessionem. — § 7. Si quis filio¹¹ suo emancipato nepotem, quem ex eo retinuerat, dederit in adoptionem: nepos iste ad contra tabulas bonorum possessionem avi sui admittitur, patre ejus ante defuncto: in ejus est familia; quia et ipse admitti potuit ad bonorum

2. d. l. 2. — 3. L. 7, § 1, supr. de bon. poss. — 4. Obst. d. l. 7, in fin. — 5. L. 95, § 1, supr. de acquir. vel omitt. hered.

Tit. IV. — 1. Lib. 6, C. 12. — 2. L. 1, § 1, infr. de collat. — 3. L. 8, § 2, infr. h. t. § 15, Inst. de hered. que ab intest. — 4. L. 4, § 2, infr. de bon. libert. immo vide L. 5, § 1, supr. de condit. et demonstr. l. 121, § 2, infr. de verb. oblig. l. 5, § 1, infr. de bon. damnat. — 5. § 5, Inst. de calver. liber. — 6. L. 1, § 6, supr. h. t. — 7. L. 1, § 6, infr. de conjugend. cum emancip. — 8. l. 25, supr. de ritu nupt. — 9. l. 19, C. de inoffic. testam. — 10. § 11, Inst. de hered. que ab intest. — 11. l. ult. § 1, infr. h. t.

12. ULPIANUS, lib. 48, ad Edictum.

Non est ambigendum, quod plerumque²⁹ et contra fiscum, et contra rempublicam admitti debeant quidam: ut puta venter; item furiosus; item [is] qui captivi bonorum possessionem petit. — § 1. Ubicumque lex, vel senatus, vel constitutio capere hereditatem prohibet: et bonorum possessio cessat.

13. AFRICANUS, lib. 5 Quaestionum.

Edicto praetoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitalis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt. Rei³⁰ autem capitalis damnatus intelligitur is cui poena mors, aut aquae et ignis interdictio sit. Cum autem in relegationem quis erit, ad bonorum possessionem admittitur.

14. PAPIANUS, lib. 15 Quaestionum.

Cum quidam propinquus falsum testamentum accusaret, ac post longum spatium temporis probasset: licet dies ei petendae possessionis, quam forte certus accusationis petere debuit, cessisse videtur; attamen, quia hoc proposito accusationem instruit, ut suum jus sibi servet, agnovisse successionem non immerito videbitur³¹.

15. PAULUS, lib. 11 Responsorum.

Paulus respondit, petitionem matris solum non adquisisse filiae impuberi bonorum possessionem: nisi si is, qui eam dedit, evidenter voluit eam impuberi dare.

16. Idem, lib. 5 Sententiarum.

Quotiens is, cui bonorum possessio ab altero postulata est, furere coeperit: magis probatum, ratum³² eum videri habuisse. Rati enim habitio ad confirmationem prioris postulati pertinet.

TIT. II.

SI TABULAE TESTAMENTI EXTABUNT

1. PAULUS, lib. 5, ad Sabinum.

Heredi, cuius nomen in consilio³³ ita deletum sit, ut penitus legi non possit, dari bonorum possessio minime potest: quia ex conjectura non proprie scriptus videtur: quamvis si post profatas tabulas deletum sit testamentum, bonorum possessio competat; nam et si mortis tempore tabulae fuerint, licet postea interierint, competet bonorum possessio: quia verum fuit tabulas extare.

TIT. III.

DE BONORUM POSSESSIONE FURIOSO, INFANTI, MUTO, SURDO, CAECO COMPETENTE.

1. PAPIANUS, lib. 15 Quaestionum.

Furiosus Titius substitutus est: bonorum possessionis tempus, quamdiu furiosus in eadem conditione est, neque instituto, neque substituto cedit; nec si curator furiosi nomine possessionem accipere potest, idcirco spatium³⁴ temporis, quod scientibus³⁵ praefinitum est, videbitur cedere: nam et pater³⁶ infanti filio possessionem accipit, quo tamen cessante, infans non³⁷ excluditur. Quid ergo, si curator accipere nolit? nonne justius atque utilius erit, ad eundem modum proximo cuique possessionem dari, ne bona jaceant? quo admissio, substitutus cautionem praestare cogitur omnibus his, quibus bona restitui debent: si forte institutus in eodem furore decesserit, ante compos mentis effectus, ante mortem obierit, quam hereditatem agnosceret; nam et fieri potest, ut vivo furioso substitutus decessat, nec tamen furiosus obstat ceteris, si prius et ipse decesserit, quam hereditatem acquireret.

2. ULPIANUS, lib. 59, ad Edictum.

Mutus³⁸, surdus, caecus bonorum possessionem admittit potest, si, quod agatur, intelligant.

29. Immo vide d. l. un. § 12, vers. tantum etenim; C. de caduc. toll. l. 1, c. 1, § 1, vers. ordinatum vero. — 30. L. 4, in pr. supr. si qua cautio, § 1, l. 2, infr. de public. judic. l. 15, in pr. infr. de pen. — 31. L. 5, C. de repud. vel abstin. hered. — 32. Adde L. 54, § 3, infr. ratam rem haberi.

Tit. II. — 1. L. 1, § 2, supr. de his, qui in testam. del. l. 10, in fin. supr. restant, quem adm. aper. l. 2, l. 11, C. de testam.

Tit. III. — 1. L. 2, C. qui admittit ad bon. poss. § 4, in fin. Inst. de bon. poss. —

possessionem contra tabulas. — § 8. Idemque est, et si emancipatus filium, quem post emancipationem quaesierat, patri suo in adoptionem dederit, et decesserit: nam et hic nepos iste ad bonorum possessionem patris sui admitti debet: quasi non sit in alia familia. — § 9. Si pater alicujus pervenerit in adoptivam familiam, filius non: an patris sui in adoptiva familia mortui bonorum possessionem accipere possit? Et arbitror, humaniorem esse hanc sententiam, ut filius hic, quamvis non sit in eadem familia [in] qua pater, ad bonorum possessionem tamen ejus admittatur. — § 10. Liberi, qui institui heredes jure non possunt, nec contra tabulas bonorum possessionem petere possunt. Hanc autem verba, *institui non possunt*, ad mortis tempus referuntur. — § 11. Si quis ex liberis heres scriptus sit: ad contra tabulas bonorum possessionem vocari non debet; cum enim possit secundum tabulas habere possessionem, quo bonum est ei contra tabulas dari? Plane, si alius¹² committat edictum, et ipse ad contra tabulas bonorum possessionem admittatur. — § 12. Sed si sub conditione¹³ scriptus sit, bonorum possessionem contra tabulas accipere non potest, et ita Julianus quoque lib. 23 Digestorum scripsit. Quid ergo, si defecerit conditio? verum est, eum contra tabulas accipere bonorum possessionem. — § 13. Si sub ea conditione filius emancipatus heres sit institutus, que in ipsius potestate non est: quia scriptus heres est, bonorum possessionem secundum tabulas accipere potest et debet: nec contra tabulas potest; et si forte defecerit conditio: tuendus erit a prætoribus in tantum¹⁴, quantum ferret, si contra tabulas bonorum possessionem accepisset. — § 14. Sed etsi nepos sub hujusmodi conditione scriptus sit heres: idem erit dicendum. — § 15. Si quis ex liberis non sit scriptus heres, sed servus ejus scriptus sit, eumque jusserit adire hereditatem: denegari ei debet bonorum possessio contra tabulas. — § 16. Idemque est et si legatum relicto sibi vel servo suo elegerit: nam et hic dicemus, bonorum possessionem contra tabulas debere denegari.

4. PAULUS, lib. 41, ad Edictum.

Illud notandum est, quod bonorum possessio contra tabulas, que liberis promittitur, locum habet, sive quis heres extiterit, sive non; et hoc est, quod dicimus, *contra ipsam testamentum liberis* competere bonorum possessionem: quod in patrono contra est. — § 1. Si quis filium, quem in potestate habuit, instituit heredem, vel exheredaverit, et¹⁶ ex eo nepotem omiserit: bonorum possessioni locus non est: quia non esset nepos suus heres futurus. Eadem sunt et in sequentibus gradibus. — § 2. Ad testamenta feminarum¹⁷ edictum contra tabulas bonorum possessionis non pertinet: quia suos¹⁸ heredes non habent. — § 3. Si quis eum, qui in utero est, prætermiserit: etiam nondum nato eo, alius, qui heres institutus est, bonorum possessionem contra tabulas admittere potest: quia iniquum est, neque quasi scriptum posse petere bonorum possessionem, quamdiu¹⁹ contra tabulas peti potest; nec contra tabulas, quamdiu non nascitur præteritus: ut, etsi ante moriatur, bonorum possessionis beneficium ad heredem transmittat; quod maxime necessarium est in filio emancipato scripto herede: qui nec hereditatem interim adire potest.

5. JULIANUS, lib. 24 Digestorum.

Sed et si decesserint, antequam petent bonorum possessionem: non est iniquum, prætoribus decernere, heredibus eorum saluum fore commodum bonorum possessionis secundum tabulas, vel contra tabulas.

6. PAULUS, lib. 41, ad Edictum.

Si emancipatus filius nepotem procreaverit, et ita decesserit, deinde avus ejus: nepos ad avi bonorum possessionem venire potest. — § 1. Quod si [et] filium et nepotem emancipaverit: vivente quidem filio, nepos non veniet: post mortem autem ejus, ad bonorum possessionem avi veniet. — § 2. Nepote quoque solo emancipato, et avo mortuo, deinde patre ejus, nepos præteritus accipiet patris bonorum possessionem: quia suus heres esset futurus patri, si potestate avi non exisset. — § 3. Filio emancipato, si nepos retentus sit, et utriusque præteriti: utriusque accipiet bonorum possessionem. — § 4. Si filius emancipatus, in adoptiva familia nepotem sustulerit²⁰: ne nepos quidem ad bonorum possessionem avi naturalis veniet. Sed etsi emancipatus filius procreavit nepotibus in adoptionem se dederit, ut eum filii sequantur: idem erit. Plane si is, qui apud adoptivum avum procreatus est, emancipatus sit: veniet ad bonorum possessionem avi naturalis. Adoptio tamen nocet, quamdiu quis in familia aliena sit: cæterum emancipatus ab bonorum possessionem parentium naturalium venit: sed emancipatus vivis eis, non etiam post

12. L. 14, in fin. l. 17, l. ult. in pr. infr. eod. — 13. L. 10, § ult. infr. h. t.; l. 3, in fin. infr. que res pignori. — 14. L. 15, in pr. infr. h. t. — 15. L. 1, § 1, infr. de bon. posses. eund. tab. — 16. L. 1, § 6, infr. de conjung. eund. emancip. — 17. L. 15, § 6, de iudic. testam. — 18. L. 15, infr. de suis et legit.; § 5, Inst. de hered. qual. — 19. L. 5, infr. h. t.; l. 24, supr. de acquir. vel omitt. hered.; l. 12, infr. de Carbon. edict.; l. 2, § 10, infr. de suis et

mortem [eorum]; hoc enim verius est, post mortem eorum emancipatum non admitti.

7. GAUUS, lib. 14, ad Edictum provinciale.

Si retentus fuerit in potestate nepos filio emancipato: admittitur nepos, vivo avo, ad patris bonorum possessionem.

8. ULPIANUS, lib. 40, ad Edictum.

Non putavit prætor exheredatione²¹ notatos et remotos ad contra tabulas bonorum possessionem admittendos: sicuti nec jure civili testamenta parentum turbant; sane si velint inofficiosi²² querelam instituere, est in ipsorum arbitrio. — § 1. Aliqua parte tabularum exheredem scribi non sufficit: sed eo gradu, contra quem petitur bonorum possessio; unde si a primo gradu exheredatus sit filius, a secundo præteritus, et primo gradu scripti non petierint bonorum possessionem: poterit contra tabulas accipere bonorum possessionem. — § 2. Non quavis exheredatio summovet filium a contra tabulas bonorum possessione, sed quæ rite facta est. — § 3. Si ab uno ex heredibus sit filius exheredatus, Marcellus lib. 9 Digestorum scribit, filium non²³ videri exheredatum: idcirco contra tabulas bonorum possessionem peti posse contra utrumque heredem. — § 4. Si exheredatus sit filius, et institutus: oblinente eo gradu, in quo institutus est, puto, commisso edicto ab alio filio, contra tabulas eum bonorum possessionem petere posse. — § 5. A primo gradu²⁴ præteritus est filius, a secundo exheredatus: si [in] primo gradu scripti non sint in rebus humanis, mortis tempore testatoris; dicendum est, contra tabulas bonorum possessionem præteritum petere non posse: hereditas enim in secundo gradu versatur, non in primo; ex quo neque adiri hereditas, neque bonorum possessio peti potest. Sed si post mortem testatoris decesserint heredes scripti: idem Marcellus putat, contra tabulas bonorum possessionem semel natam competere. Sed etsi defecerit conditio institutionis: adhuc tantumdem dicit, præteritum ab eo gradu filium contra tabulas bonorum possessionem petitorum. Idem scribit, etsi posthumus, qui institutus fuit, non fuerit natus: nam adhuc contra tabulas bonorum possessionem competere filio, Marcellus ait.

§ 6. Si quis sua manu se exheredem scripsit²⁵, an contra tabulas bonorum possessionem possit accipere, videamus? Et Marcellus lib. 9 Digestorum, nocere ei hanc exheredationem ait: quia senatus hoc pro non scripto non facit, quod contra eum est. — § 7. Si quis emancipatum filium exheredaverit, eumque postea adrogaverit: Papinianus lib. 12 Questionum ait, jura naturalia in eo prevalere: idcirco exheredationem nocere. — § 8. Sed in extraneo²⁶ Marcelli sententiam probat, ut exheredatio ei adrogato postea non noceat. — § 9. Postliminio autem reverso filio, dicendum est exheredationem ante factam nocere. — § 10. Si filium in adoptiva familia constitutum pater naturalis exheredaverit, deinde sit filius emancipatus: nocebit ei exheredatio. — § 11. In adoptionem datos filios non²⁷ summoveri prætor voluit, modo heredes instituti sint: et hoc justissime eum fecisse Labeo ait: nec enim in totum extranei sunt. Ergo si fuerint heredes scripti, accipient contra tabulas bonorum possessionem: sed ipsi soli non committent edictum, nisi fuerit alius præteritus ex liberis, qui solent committere edictum. Sed si ipse scriptus non sit, sed alius, qui [ei] acquirere hereditatem potest: non est in ea causa, ut eum ad bonorum possessionem contra tabulas admittamus. — § 12. Ut autem admittantur ad bonorum possessionem, ex²⁸ liberis esse eos oportet; cæterum si adoptivum filium dedi in adoptionem, et heredem scripsi: commisso per alios edicto, bonorum possessio contra tabulas ei non dabitur. — § 13. Datur autem ei, qui in adoptiva familia est, contra tabulas bonorum possessio, si eo gradu heres scriptus sit, contra quem peti potest bonorum possessio. — § 14. Non est novum, ut emancipatus præteritus plus juris scriptis heredibus fratribus suis tribuat, quam habituri essent, si soli fuissent: quippe si filius, qui in potestate patris est, ex duodecima parte heres scribatur, emancipato præterito, dimidiam partem beneficio emancipati occupat; qui, si emancipatum fratrem non haberet, duodecimam partem habiturus esset. Sed si ex parte minima sit heres institutus: non pro ea parte, qua institutus est, tuendus est commisso edicto: sed amplius per bonorum possessionem habere potest. Prætori enim propositum est, cum contra tabulas bonorum possessionem dat, eas partes unicuique liberorum tribuere, quas²⁹ intestato patre mortuo, in hereditate habiturus esset, si in potestate mansisset; et ideo sive emancipatus, sive is, qui in potestate mansit, sive in adoptionem datus, ex minima parte heres scriptus sit: non redigitur ad eam portionem, ex qua institutus est, sed virilem accipit.

legit. — 20. L. 5, infr. de conjung. eund. emancip. — 21. L. ult. supr. de liber. et posth. — 22. L. 25, in pr. supr. de inoffic. testam. — 23. L. 5, § 1, supr. de liber. et posth. — 24. L. 1, § 7, infr. de ventre in posses. mitt. — 25. L. 22, in fin. infr. ad leg. Corn. de fals. — 26. L. 152, in fin. pr. infr. de verb. oblig. — 27. L. 10, in pr. infr. h. t.; l. 1, § 12, infr. de ventur. in posses. mitt. — 28. L. 1, § 6, supr. h. t. — 29. L. 21, in fin.; l. 15, § 3, infr. eod.

9. GAUUS, lib. 14, ad Edictum provinciale.

Utrum autem pater adoptivus vivit, an defunctus est, nihil interest: nam hoc solum quæritur, an in adoptiva familia sit.

10. ULPIANUS, lib. 40, ad Edictum.

Si post mortem testatoris heres institutus filius in adoptionem se dederit, bonorum possessionem contra tabulas accipere potest³⁰: quia scriptis heredibus instituti non solet nocere adoptio. — § 1. Si filius in adoptionem datus avo materno, heres institutus sit a patre naturali: commisso per alium edicto, magis est, ut bonorum possessionem accipere possit; nec enim exigimus, ut adeat hereditatem: sed sufficit, ut ei delata sit, acquirere possit. — § 2. Si in adoptionem datus, posteaquam jussu patris adoptivi hereditatem adiit emancipatus fuerit: potest contra tabulas bonorum possessionem accipere: hereditatem[que] ipse potius habebit, quam pater adoptivus. — § 3. Illud notandum est, quod, et si adierit hereditatem in adoptionem datus, contra tabulas ei datur; alias autem si quis legatum³¹, si quis portionem sibi datam agnovit: a contra tabulas bonorum possessione repellendus est. — § 4. Liberi, qui contra tabulas habere non possunt, nec partem faciunt, si per alios committatur edictum: quo enim bonum est eis favere, ut partem faciant, nihil habituris? — § 5. Exheredati liberi quemadmodum edictum non committunt, ita nec commisso per alios edicto, cum illis venient ad bonorum possessionem: unaque³² eis contra tabulas superest, si de inofficioso dicant. — § 6. Hi, qui propter³³ alios contra tabulas bonorum possessionem petunt, non expectant ut præteriti bonorum possessionem accipiant, verum ipsi quoque bonorum possessionem petere contra tabulas possunt; cum enim semel beneficio aliorum ad id beneficium fuerint admissi: jam non curant, petant illi, necne, bonorum possessionem.

11. PAULUS, lib. 41, ad Edictum.

Si in adoptionem datus, sub conditione scriptus sit heres a naturali patre: alio committente contra tabulas edictum, et ipse veniet; sed si defecerit conditio, repellitur ab ea possessione. Idem puto et in eo, qui pure quidem, sed non jure scriptus sit heres. — § 1. Exemplo juris legitimum³⁴, et bonorum possessio contra tabulas distribuitur. Igitur nepotes ex uno filio unam partem habebunt.

12. GAUUS, lib. 14, ad Edictum provinciale.

Si duobus filiis, et ex altero filio duobus nepotibus bonorum possessio competat, et alter ex nepotibus non petat: pars ejus fratri adrescit. Si vero ex filiis alter non petat, tam fratri, quam nepotibus, id prodest: namque tunc duo semisses fiunt, ex quibus alterum filius, alterum nepotes consequuntur. — § 1. Si prius testamentum extet jure factum, quo filius exheredatus est; sequens imperfectum, in quo præteritus sit filius: posteriore testamento præteritus recte petet bonorum possessionem, si remoto quoque filio potiores sunt in ea hereditate posteriore testamento scripti heredes; et ita jus habet, ut cum is, contra quem filius petit bonorum possessionem, amoto filio possit obtinere hereditatem: filius quoque recte videatur petere bonorum possessionem: si vero ille non possit obtinere hereditatem, filius quoque excludatur.

13. JULIANUS, lib. 23 Digestorum.

Cum emancipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit, scriptus heres ei hereditatem petenti cogendus est et prædia et servos hereditarios præstare: omne enim jus transferri æquum est, quod per causam hereditariam scriptus heres nascitur, ad eum quem prætor heredis³⁵ loco constituit. — § 1. Qui duos filios, et ex altero eorum nepotem habebat, eum in adoptionem dedit, et heredem instituit præterito altero filio: quaeritur, quid in his servari debeat: utrum in partem patris sui admittatur, an virilem portionem habeat? Respondi, in adoptionem datus nepos et heres scriptus, quamdiu pater ejus aut in potestate, aut emancipatus est, non potest contra tabulas bonorum possessionem accipere: sed et si pater ejus, antequam bonorum possessionem acciperet, decesserit, non admittitur nepos ad bonorum possessionem. — § 2. Si pater emancipato filio præterito, heredes duos scripsit, filium, quem in potestate habebat, et alterum, quem in adoptionem dederat, ex quo duo nepotes in familia reliquerat, qui et ipsi testamento præteriti sint: bonorum possessionem pro parte³⁶ tertia emancipatus, pro parte tertia is, qui in potestate remansit, pro parte tertia, qui in adoptionem datus est, et filii ejus simul habebunt, ita ut sextans patri, sextans nepotibus cedat. — § 3. Si pater ex duobus filiis alterum habentem filios emancipaverit, et unum ex nepotibus, quem ante emancipaverat, in locum

30. L. 8, § 11, supr. eod. — 31. L. 3, in fin. supr. eod.; l. 5, § 2, infr. de legat. præstaud. — 32. Fide tamen L. ult. supr. de liber. et posth. — 33. L. 5, § 11, supr. h. t. — 34. L. 1, § 1, supr. eod. — 35. L. 2, supr. de bon. posses. — 36. L. 8, in fin. supr. h. t. — 37. *Adde* L. 2, § 4, supr. eod. — 38. L. 16, in fin. infr. de legat. præstaud. — 39. *Immo vide* L. 15, § 4,

filii adoptaverit, præterito deinde emancipato decesserit: æquius erit, nepoti, qui in locum³⁷ filii venerit, succurri et in tres partes hereditatem diduci: ut unam habeat, qui in potestate remanserit; alteram nepos adoptatus in locum filii; tertiam emancipatus cum filio suo, qui nepotis loco fuerit. Sed etsi mortuo filio, alter ex nepotibus in locum filii adoptatus fuerit: tres partes in bonis fient: cum sit æquius, eum qui in locum filii adoptatus est, non minus habere, quam si non ex numero nepotum, sed extraneo adoptatus esset.

14. AFRICANUS, lib. 4 Questionum.

Si duobus filiis emancipatis, alter heres institutus sit, alter præteritus; si institutus adierit, quamvis verbis edicti parum expressum sit, tamen, non posse eum petere bonorum possessionem, respondit; quia iudicium patris secutus sit: nec enim emancipatum, si legatum accepisset, admitti ad bonorum possessionem, sive ab heredibus institutus, sive ab his qui contra tabulas petierint, accepisset. Sed illud observandum: ut prætor eum, qui heres institutus adierit, in eam partem, qua scriptus sit, tueri debeat, dum tamen non amplioem, quam habiturus esset, si bonorum possessionem accepisset; ut hactenus deteriori causam suam fecerit: quod si ex minore parte sit institutus, eam duntaxat retinere possit: et quod³⁸ extraneis³⁹ quoque legata præstare cogatur. Quod si is, qui in potestate est, heres institutus sit: quoniam necessarius heres sit, non aliud dici posse, quam et ipsum petere posse bonorum possessionem; si modo hereditati se non immiscuerit; tunc enim, quia iudicium patris comprobasse videtur, [in] eodem loco, quo emancipatum, haberi debere. — § 1. Filius in adoptiva familia, uxore ducta, filium susceperit, eumque post mortem patris adoptivi emancipavit: hunc nepotem contra tabulas avi naturalis decreto posse petere bonorum possessionem, respondit. Item si filius emancipatus, sublato filio et emancipato, adrogandum se dederit, et mortuo adoptivo patre decesserit: et contra patris et contra avi tabulas ex decreto hunc admitti, minime dubitari debere: ne aliquam ab omnium bonis excluderetur.

15. MARCIANUS, lib. 3 Regularum.

Si præteritus filius emancipatus exceptionem doli mali agenti heredi patris opposuerit⁴⁰ de eo quod patri debuit: non posse eum contra tabulas bonorum possessionem petere existimo: nam hoc ipso quasi repudiavit bonorum possessionem; quod ita intelligendum est, si heredem petentem debitum noluerit filius repellere illa exceptione, *Si non contra tabulas bonorum possessio filio dari potest*, sed magis doli exceptione usus est.

16. POMPONIUS, lib. 4, ad Sabinum.

Si emancipatus filius nepoti in potestate avi relicto ab extraneo herede fideicommissam hereditatem, si liberatus avi potestate fuisset, reliquisset: si suspectus avus sit, quasi consumpturus bona nepotis, non esse ei dandam bonorum possessionem.

17. ULPIANUS, lib. 35, ad Sabinum.

Si pater⁴¹ se dederit in adoptionem, nec sequatur eum filius, emancipatus ab eo antea factus: quia in alia familia sit pater, in alia filius, bonorum possessionem contra tabulas non potest filius ejus habere: et ita Julianus scripsit. Marcellus autem ait, iniquum sibi videri, excludi eos a bonorum possessione, cum pater se dedit in adoptionem; ubi enim filius non datur in adoptionem, at pater se dat: nullum patrem filio assignat: quæ sententia non est sine ratione.

18. HERMOGENIANUS, lib. 3 juris Epitomarum.

[Sed] sub conditione exheredatus, contra tabulas bonorum possessionem petet: licet sub conditione heres⁴² institutus a contra tabulas bonorum possessione excludatur: certo enim iudicio liberi a parentum successione removendi sunt. — § 1. Ei, qui contra tabulas bonorum possessionem accepit, tam legati, quam fideicommissi exactio, sed et mortis causa donationis retentio denegatur: nec interest, per semetipsos, an per alium quaeratur.

19. TRYPHONINUS, lib. 13 Disputationum.

Quod vulgo dicitur *liberis datam bonorum possessionem contra legatum esse*: sic intelligendum est, ut sufficiat extitisse tabulas mortis tempore patris, ex quibus vel adiri hereditas, vel secundum eas bonorum possessio peti potuit: quamvis neutrum eorum postea secutum sit, vel sequi potuit; nam si⁴⁴ vel omnes instituti substitutique ante testatorem

vers. sed si scriptus infr. d. t. — 40. Fide tamen L. 4, § 16, infr. de doli mali et met. except. — 41. L. 3, § 2, supr. h. t. — 42. L. 8, § 11, supr. eod. — 43. L. 4, in pr. supr. eod. — 44. L. 20, in fin. infr. tit. prox.

de-esserint, vel is scriptus heres fuit, cum quo testamenti factio non fuit: peti contra tabulas inane est, quæ sine effectu foret.

20. *Idem*, lib. 19 Disputationum.

Filium, quem in potestate habebat, exheredavit: emancipatum præterit: quæsitum est, quatenus emancipatus bonorum possessionem habiturus sit? Dixi, si scripti heredes extranei adierint hereditatem: repellendum esse filium qui mansit in potestate. Quod si hi repudiaverint hereditatem, quod facile sunt facturi, nihil latari ex hereditate propter eum, qui contra tabulas accepit bonorum possessionem: filius ab intestato patris suus heres deprehenditur: emancipatus autem petens contra tabulas bonorum possessionem, solus habebit bonorum possessionem. Sed cum exhereditatio non⁴⁵ adita hereditate ex testamento, nullus sit momenti: ideoque non obstat eam, nec quominus contra tabulas [libertorum] patris accipiat bonorum possessionem, Julianus recte respondit: ne testamentum per omnia irritum ad notam exheredationis solam proficisse videatur: redit res ad intestati exitum, ut, adversus filium suum ex asse heredem, ab intestato patre emancipatum prætor in parte dimidia tueatur. Erit ergo venale beneficium scripti heredis extranei: ut, cum ipse jure hereditatis nihil sit consecuturus, adeundo repellat filium in potestate relictum, præstetque asem emancipato filio jure contra tabulas bonorum possessionis: si autem omiserit hereditatem, in portionem bonorum exheredatum effectum admittet jure factum solum suum heredem. Sed quemadmodum prætor emancipatum tueatur, si adita non fuerit hereditas: ita nec filius, qui in potestate remansit, additione adhibita in totum expellendus erit: sed ad hereditatis petitionem admittendus est ex causa inofficiosi querelæ contra emancipatum movende. — § 1. Videamus tamen isto casu quo utriusque ad bona patris veniunt, an ei conferre debeat emancipatus? nam neque ex hac parte edicti verbis id facere cogitur, unde contra tabulas accepit bonorum possessionem (quæ inter eos, quibus ita bonorum possessio dabitur, caveri de collatione ab emancipato jubet: iste enim, qui mansit in potestate, quod exheredatus nominatum fuit, non est vocatus ad bonorum possessionem contra tabulas), neque ex illa parte edicti, qua, intestato patre mortuo, emancipatus ad bonorum possessionem admissus, ad collationem compellitur: quia et si frater ab intestato heres sit, emancipatus tamen non inde accepit bonorum possessionem. Et vereor, ne hæc filio suo profuerit factum heredis scripti non adeuntis, ut eum ad portionem admittet bonorum paternorum: non etiam eorum, quæ emancipatus propria habuit; et hoc sit consequens illi, quod, cum ex minore parte scriptus a patre heres relictus in potestate, admissio fratre emancipato ad contra tabulas bonorum possessionem, ejus beneficio⁴⁶ plus consequatur: quamvis edicti verbis collatio inducatur, ex mente prætoris denegandam [eam] respondetur; multo magis autem huic conferri non oportet: quia et a patre exheredatus, a prætore ad bonorum possessionem contra tabulas non vocatus, occasione omittæ hereditatis a scripto herede nihil habituro propter delatam emancipato a prætore contra tabulas bonorum possessionem, nomen sui heredis adeptus [est]. — § 2. Legata tamen ex parte sua iste emancipatus liberis et parentibus præstare cogetur: non⁴⁷ solida, sed diminuta in dimidium, quod relinquunt manenti in potestate. Sed nec adversus eum constituendæ actionis legatorum ratio est, qui merito jure intestato heres exitit. Sed qui accepit contra tabulas bonorum possessionem, etiam si non fuerit adita hereditas a scripto, præstat legata ea parte testamenti data, contra quam bonorum possessio accepta est. Erit ergo melior hoc casu conditio in familia relictis filiis, quam foret, si exheredatus non esset.

21. *MODESTINUS*, lib. 6 Pandectarum.

Si is, qui filium, et ex eo nepotem in potestatem habebat, filium⁴⁸ in adoptionem dedit, nepote retento in potestate; postea filius emancipatus a patre adoptivo decessit extraneis heredibus institutis: filius hujus, qui in potestate avi remansit, contra tabulas patris sui bonorum possessionem petere poterit: quamvis nunquam in potestate hujus fuerit; ideo nec debuisse in potestate esse videtur: nam si aliter observatur, nec si emancipatus filius fuerit, nepos ex eo, qui in potestate avi remansit, bonorum possessionem contra tabulas petere poterit. — § 1. Idemque juris est, si emancipatus⁴⁹ filio, nepos ex eo in potestate avi remanserit, et postea patri suo in adoptionem datus fuerit: id est, contra tabulas avi bonorum possessionem petere poterit: quia per adoptionem aliena familia non fuerit. — § 2. Sed si emancipatus filius meus adoptaverit extraneum filium: is, qui adoptatus est, filius contra tabulas meas bo-

45. L. 1. § 5. inf. de bon. libert. — 46. L. 1. § 4. inf. de collat. — 47. L. 10. § ult. inf. in præx. — 48. L. 3. § 9. supr. h. t. — 49. d. L. 3. § 7. — 50. L. 10. § 8. in fin. supr. de in jus vocato.

TIT. V — 1. C. de bon. posses. contra tab. quam prætor liber. — 2. L. ult. § 1. in

norum possessionem petere non poterit: quia nunquam⁵⁰ nepotis loco apud me fuit.

TIT. V.

DE LEGATIS PRÆSTANDIS, CONTRA TABULAS BONORUM POSSESSIONE PETITA.

1. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Hic titulus æquitatem quandam habet naturalem, et ad aliquid novam: ut, qui judicia patris rescindunt per contra tabulas bonorum possessionem, ex judicio ejus quibusdam personis¹ legata et fideicommissa præstarent: hoc est liberis, et parentibus, uxori, nuptique dotis nomine legatum. — § 1. Generaliter autem parentes² et liberos prætor excepit: nec gradus liberorum parentiumve enumeravit, in³ infinitum⁴ igitur eis præstabitur. Sed nec personas prosecutus est: utrum ex virili sexu, an ex fœminino descendant. Quisquis igitur ex liberis parentibusque fuerit, ad legati petitionem admittetur: sed ita demum, si jura cognationis sunt inter eos. — § 2. Liberos autem etiam eos ad legatorum petitionem admittimus, qui in adoptionem dati sunt, vel etiam [in] adoptivis, dummodo maneat liberi. — § 3. Posthumis liberis legata relicta utique præstabitur.

2. *JULIANUS*, lib. 23 Digestorum.

Et ideo si prægnate uxore filius emancipatus fuerit, et bonorum possessionem contra tabulas accepit, legatum nepoti præstare debet.

3. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sed et si mortis causa donationes [sunt] collate, credo, tuendæ sunt: si autem excepti non sunt, auferendas eis puto mortis causa donationes. — § 1. Liberi autem tantum et parentibus prætor prospexit: non etiam fratri et sorori conservabit legatum. — § 2. Hoc autem solum debetur, quod ipsis parentibus relictum est, et liberis: cæterum si servo⁵ eorum fuerit adscriptum, vel subjectæ juri eorum personæ, non debetur; nec enim querimus, cui adquiratur: sed cui honos habitus sit. — § 3. Sed et si conjunctim ei fuerit legatum relictum cum eo, qui non præstatur: sua tantum portio ei conservabitur. — § 4. Item si quis ex his personis rogatus sit restituere extero, quod sibi relictum est: dicendum, non esse legatum præstandum: quia emolumentum ad eum non respicit. — § 5. Sed si proponas, extero legatum, rogatumque eum præstare hoc alicui ex liberis parentibusque: consequenter dicemus, præstari debere. — § 6. Hoc amplius, et si extraneus relictum sit sub hoc modo, ut alicui ex liberis præstet: æquissimum erit dicere, non debere ei prætoris denegare actionem. — § 7. Ea autem legata sola præstant qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt, quæ utiliter data sunt; verum, si circo non debentur, quod filius contra tabulas bonorum possessionem accepit.

4. *JULIANUS*, lib. 23 Digestorum.

Cum propter hoc plerumque⁶ scripti heredes omittant hereditatem, cum scirent emancipatum aut petisse aut petiturum contra tabulas bonorum possessionem.

5. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Filium quis impuberem heredem scripsit, eique substituit: emancipatum autem filium præterit: deinde uterque filius acceperunt bonorum possessionem: legata sunt etiam⁷ substituto impuberis relicta, non tantum liberis, et parentibus, verumetiam extraneis: queritur, an mortuo impubere, cogatur substitutus ea præstare? Et si quidem ab impubere relicta sunt: solis liberis parentibusque præstanda sunt; sin vero, [a] substituto impuberis: omnibus eum præstare oportet, habita ratione legis Falcidie: scilicet ut partis dimidia, quæ ad eum ex bonis patris pervenit, quartam (id est, totius assis sescunciam) retineat. — § 1. Quod si impubes ex unciã duntaxat institutus heres fuerit, magis est, semissem⁸ usque legata præstaturum, habita ratione legis Falcidie: licet enim ex unciã fuerit impubes institutus; tamen, quod accessit, augēbit legata a substituto relicta. — § 2. Omnibus autem liberis præstari legata prætor voluit, exceptis his liberis, quibus bonorum possessionem prætor dedit ex causis supra scriptis: nam si dedit bonorum possessionem, non putat legatorum eos persecutionem habere. Constituitur igitur apud se debet, utrum contra tabulas bonorum possessionem petat, an vero legatum persequatur; si elegerit contra tabulas, non habebit legatum:

inf. inf. h. t. — 3. L. 4. § 2. in fin. supr. de in jus vocando; L. 56. § 1. L. 230. in pr. inf. de verb. sign. — 4. *Immo* vide L. 10. § 7. inf. de gradib. et affini. — 5. L. 23. inf. h. t. — 6. L. 12. inf. cod. — 7. L. 54. in fin. L. 55. supr. de vulg. et pupill. substit. L. ult. in fin. supr. de legat. 3. — 8. d. L. ult. § ult.

si⁹ legatum elegerit, eo jure utimur, ne petat bonorum possessionem contra tabulas. — § 3. Si quis contra tabulas bonorum possessionem acceperit, deinde postea apparuerit eum ex his liberis non fuisse, qui eam bonorum possessionem accipere possunt: ex his tamen esse, quibus legata præstatur: obtinuit, non esse ei denegandam petitionem legatorum: sive ordinariam bonorum possessionem petierit, sive Carbonianam. — § 4. Non solum autem legatum denegatur ei¹⁰, qui bonorum possessionem accepit: verumetiam si quid aliud ex voluntate accepit. Cui consequens est, quod Julianus scripsit, si fratri suo impuberi substitutus sit, acceperitque contra tabulas bonorum possessionem: denegari ei persecutionem hereditatis fratris impuberis mortui, cui a patre substitutus est. — § 5. Si legata fuerint relicta liberis et extraneis: licet utrorumque præstatio Falcidie locum faceret, legataque liberorum recideret, tamen nunc ob hoc, quod extraneis non præstatur, legata liberorum augentur¹¹. — § 6. Sed et si portio hereditatis fuerit adscripta ei, qui ex liberis parentibusque est: an ei conservanda sit, ut solent, legata? Et Julianus sæpissime scripsit, in portione¹² quoque hereditatis idem, quod in legato, probandum: cujus sententia rescripto divi Pii comprobata est; cum hereditas non modo honesto titulo, sed et pleniore honore tribuantur. — § 7. Ad eum autem modum talibus personis succurrendum est: ut ampliore quidem, quam virili portione hereditatis data, usque ad virilem tueantur¹³; in minorem autem eatenus actiones his tribuantur, quatenus scriptæ sint. Idem observatur et circa legata, fidei[ve] commissæ, quæ his data fuerint, et in mortis causa donationibus. — § 8. Is autem, cui portio hereditatis conservatur, utrum omnibus, an tantum exceptis personis legata cogatur præstare? Et magis probatur, exceptis personis solis præstanda¹⁴: nec tamen solius commodo id cedit; nam si legatis onerata sit portio, tam liberorum parentiumve, quam extraneorum: id quod¹⁵ extraneis non præstatur, liberis parentibusque profuturum non dubitamus. Igitur ita demum quod extraneis non præstatur, communicatur cum eo, qui contra tabulas petit, si non legatariis liberis parentibusque dandum sit.

6. *JULIANUS*, [lib. 23 Digestorum].

Salvius Aristo Juliano salutem. Qui filium emancipatum habebat, præterito eo patrem suum, et extraneum heredem instituit, et patri legatum dedit: filius contra tabulas bonorum possessionem petit. Quæro, si aut uterque hereditatem adisset, aut alter ex his, aut neuter: an, et¹⁶ quantum legatorum nomine patri debeat? Respondit: Sæpe animadverti, hanc partem edicti qua emancipatus accepta contra tabulas bonorum possessione liberis et parentibus legata præstare jubetur, habere nonnullas reprehensiones: nam si dodrans legatus fuerit, plus habiturus est is, cui legatum erit, quam emancipatus; decreto itaque ista temperari debebunt: ut et hereditatis partem emancipatus præstet ita, ne scriptus heres amplius habeat, quam emancipatus; et legatorum modus temperaretur, ut nihil plus ex legatis ad aliquid perveniat, quam apud emancipatum bonorum possessionis nomine remansurum est.

7. *TRYPHONINUS*, lib. 16 Disputationum.

Nam, secundum constitutionem D. Pii ad Tusciam Fuscianum Numidie legatum, placuit, parentes et liberos heredes quoque institutos tueri¹⁷ usque ad partem virilem exemplo legatorum: ne plus haberent ex institutione tales personæ, quam ad eum perventurum esset, qui contra tabulas bonorum possessionem accepit.

8. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Virilis portio quemadmodum accipiendâ sit, videamus. Pone duos esse, qui contra tabulas bonorum possessionem accipiunt; unum esse ex liberis parentibusque: virilis erit portio; sed si tres sunt, qui contra tabulas acceperunt, quarta erit virilis: hoc idem et in legatis observabitur. Sed si unus sit ex liberis, qui accepit contra tabulas bonorum possessionem, plures sint, qui ex liberis parentibusque legata acceperunt: sic hoc accipiendum est, ut filius præteritus semissem habeat, cæteri omnes, qui sunt ex liberis parentibusque, semissem. — § 1. Si quis ex liberis parentibusque et heres institutus sit, et legatum acceperit: utrum tantum portionem ei conservamus, an vero et legatum, an alterutrum, quod elegerit? et magis est, ut utrumque¹⁸ conservetur: sed sic, ne amplius¹⁹ in utroque quam virilem habeat. — § 2. Si adierit hereditatem is, cui virilis conservatur: libertates competent²⁰ ex necessitate per additionem; verumtamen videndum est, an de dolo actione teneatur, qui adit? et magis est ut, si denunciante eo, qui præteritus accepit con-

9. L. 10. § 2. supr. tit. præx. — 10. L. 22. supr. de vulg. et pupill. substit. — 11. § ult. inf. h. t. — 12. L. 7. inf. h. t. — 13. d. L. 7. — 14. L. 15. § 1. inf. h. t.: vide tamen L. 16. in fin. inf. cod. — 15. § 2. supr. hic; L. 46. in pr. supr. de usufr. L. 35. supr. de vulg. et pupill. substit. — 16. L. 7. inf. h. t. — 17. L. 5. § 6. supr. L. 8. § 1. inf. cod. — 18. *Vide* tamen L. 22. in fin. inf. cod. — 19. L. 7. supr. cod. — 20. L. 15. § 1. inf. de manumiss. testam.

tra tabulas bonorum possessionem, hic adit hereditatem pollicente eo portionem virilem, sit quod ei imputetur, et de dolo actione teneatur: damno enim adicit hereditatem, dum competunt libertates. — § 3. Si quid uxori nuptique fuerit legatum præter²¹ dotem, accepta contra tabulas bonorum possessione non præstabitur. — § 4. Nurus²² autem appellatione et pronorum ceterasque contineri, nulla dubitatio est. — § 5. Cum autem dotis nomine legatur, non puto, ad virilem uxorem nuptive redigendam: cum mulier ista ad æs alienum veniat. — § 6. Non solum autem dotem prælegatam prætor complectitur, verumetiam si pro dote aliquid fuerit relictum; utputa si dos in rebus [sit], et pro rebus ei quantitas relinquatur, vel contra: dum tamen hoc nominetur, quod pro dote relinquatur.

9. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

Sed etsi plus sit in legato, quam in dote, dabitur illis actio.

10. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sed etsi pro dote ex parte²³ aliqua eandem heredem scripserit, tuendam esse puto. — § 1. Esse autem uxorem mortis tempore exigemus. Si nupti dotem prælegaverit, eaque mortis tempore nupta sit, nullum legatum est: quia dos nondum debeat; sed cum et constante matrimonio adversus heredes soceri dabitur actio: dicendum est, etiam prælegata dotis petitionem dari debere. — § 2. Non omnia quæ ab omnibus gradibus relicta sunt legata præstare eum oportet, qui contra tabulas petit: sed ea sola²⁴, quæ in eo gradu data sunt, contra quem bonorum possessionem accepit. Sed nonnunquam contra alium quidem gradum petita est bonorum possessio, ex alio vero legata præstanda sunt: ut ecce, duo gradus heredum facit; emancipatum præterit; ab utroque tamen gradu liberis et parentibus legata adscripsit; ait Julianus: Si quidem aliquis ex primo gradu vivit, ea legata præstabit, quæ liberis et parentibus a primo gradu data sunt: sin vero nemo vivit eorum, ea quæ a sequenti: quod si neque²⁵ ex primo gradu, neque ex secundo quisquam in rebus fuerit humanis, cum testator moritur, tunc ab intestato magis bonorum possessionem præterito filio competere, nec legata cuiquam præstanda: quod si pro mortem testatoris, ante aditam hereditatem instituti decesserint, contra ipsos quidem videri petitum; verumtamen ab eis relicta legata non esse præstanda, sed quæ a substitutis relicta sunt.

11. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

At ubi institutus et substitutus vivant, licet nemo adeat hereditatem, ea tamen legata deberi dicimus, quæ ab instituto data sunt.

12. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Sive autem²⁶ omiserint instituti, sive non omiserint: dicendum est, legata, quæ ab ipsis relicta sunt, præstanda: quamvis secundo gradu instituti, omittentibus eis adierint hereditatem.

13. *TRYPHONINUS*, lib. 2 Disputationum.

Item a substituto legata deberi dicimus, si institutus conditione defectus esset, quæ in ipsius potestate non fuit; nam si eam, quæ in ipsius potestate fuit, non implevit: pro eo habendus est, qui noluit adire hereditatem: quando nihil habiturus emolumenti, conditioni merito non paruerit.

14. *ULPIANUS*, lib. 40, ad Edictum.

Nonnunquam contra tabulas bonorum possessionem quis habet jure secundum tabulas bonorum possessionis: utputa heres institutus est emancipatus filius, alius emancipatus præteritus; institutus accepit contra tabulas bonorum possessionem, præteritus omisit: apertissimum est, ut cogatur omnibus²⁷ perinde legata præstare, atque si commissum edictum non fuisset; nec enim occasio emancipati præteriti debet institutum lucro ad ficere, cum præteritus jure suo non utatur. — § 1. Si ab uno ex filiis herede instituto nominatum alicui ex liberis parentibusque legatum datum sit, et acceperit bonorum possessionem contra tabulas cum aliis: melius est probare, omnes²⁸, qui contra tabulas bonorum possessionem acceperunt, cogendos id legatum præstare.

15. *PAULUS*, lib. 41, ad Edictum.

Is, qui in potestate²⁹ est, præteritus legata non debet præstare, etsi contra tabulas bonorum possessionem petierit: quia, et non petita bonorum possessione intestati hereditatem obtineret; nec enim exceptio doli mali huic nocet: et absurdum est, eum cogi legata præstare, quia bonorum possessionem petierit; cum et sine hac hereditatem habiturus sit suo

21. L. 1. in pr. supr. h. t. — 22. L. 50. inf. de verb. sign. adde L. 6. § 2. inf. de grad. et affini. — 23. L. 5. § 6. supr. h. t. — 24. L. 20. in fin. supr. in præx. — 25. L. 19. supr. d. t. — 26. L. 4. supr. h. t. — 27. L. 15. § 1. inf. cod. — 28. *Vide* tamen L. 18. in fin. inf. cod. — 29. L. 16. inf. cod.